



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Caput V. De Missae celebratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. XX.

Invocatio omnium Sanctorum.

Sancti Dei omnes, cives supernæ patriæ, inclinate aures vestras & demittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus, & infirmus, cui omnia defunt ornamenta virtutum: ad vos clamo, & vestram imploro benignitatem; succurrite infirmitati meæ, fidem meam & spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam cælestis convivi, in conspectu divinæ majestatis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, & ardentissimis desideriiis è cælo ad terram traxistis, hujusque Sacramenti mysteria variis typis & umbris præfigurastis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sanctè tractare possim, & puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima cæna novi Testamenti Sacerdotes creavit, ac primum seipso cibavit, vos suppliciter exoro, ut vestrâ adjutus ope gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo Regi pro nobis crucifixo vicem, quam potuistis, vitæ oblatione per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus & purificatus meipsum mactem Deo hostiam vivam & ei placentem; sicque paratus & probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices & Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis; pro me obsecro intercedite, ut meum quod oblaturus sum sacrificium Deo sit acceptabile, mihi que & omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi & Eremitæ, qui cibo potuque cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias, & vitæ hujus pericula superastis, adjuvate me orationibus vestris, ut sacris hisce mysteriis armatus meipsum vincam, & omnes inimicos animæ meæ conteram sub pedibus meis.

Sanctæ Virgines Deo amabiles, quæ studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum

præparastis, & nunc in cælo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit Virginitatis prærogativâ eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, quâ corpus & animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N.N. & vos Sancti N.N. quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio atcedo nunc ad immolandum corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium vivâ fide, ferventi charitate, & plenâ devotione perficiam, perque ejus continuum & salutiferum usum vestro dignus confortio tandem inveniar. Amen.

CAPUT V.

De Missæ celebratione.

§. I.

De proxima dispositione ad Missam.

Pervulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se animæ exhibet Deus, qualem se illa præparat Deo. Ideò Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitæ, Panis Angelorum, Manna absconditum, Paradisus deliciarum, ignis consumens, & tertium Cælum, in quo audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui. Aliis verò est panis insipidus, omni carens dulcedine, & vitali operatione, & nauscat anima eorum super cibo isto: quia nimirum mors est malis, vita bonis; & sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se experitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivi in se sentiant effectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos ritè disponant; qui seriò cogitent, se ad Sancta Sanctorum accedere, ad Altare Dei, ad Deum ipsum. Ideò multi infirmi sunt & imbecilles, & dormiunt multi. Mortem olim summo Sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in Sancta Sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro, omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergò poenam merebitur novæ Legis Sacerdos, qui non ad Arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut Filium ejus Dominum Jesum Christum immolet,

tangat, comedat; nisi id faciat eâ sollicitudine, attentione, & apparatu, qui dignus sit tali convivio, dignus Deo? Instante itaque celebratione totis viribus curare debet, ut in ara cordis ignem divini amoris succendat, actusque eliciat diversarum virtutum, qui heroïci sint, & tanto sacrificio, ejulque termino & objecto, quantum fieri poterit, convenientes.

Quia verò in hoc Sacrificio non solum animus, sed etiam corpus occupatur, ipsum quoque oportet ab omni forde incontaminatum custodire. Si enim Sacerdos Mosajca sacrificia, quæ non nisi infirma & egena elementa fuerunt, ac umbra futurorum, oblaturus, ex Dei præscripto nitidis vestibus indui, corpusque lavare tenebatur: quanto magis decet à sordibus etiam corporeis Christianum Sacerdotem expurgari, qui Domini sui carnem & sanguinem offert, comedit, bibit? Et primò quidem necessariæ celebraturo sunt hæc corporis dispositiones, jejunium scilicet, castitas & carnis munditia, de quibus differere ad Scholasticos spectat: vestes item compostæ, & modestæ, quæ sordibus careant & pompâ, nec quidquam redoleant, quod à statu Sacerdotis alienum sit. Tum quia Christus ante hujus Sacramenti institutionem lavit pedes Discipulorum suorum, debet Sacerdos pedes animæ, qui sunt affectus, ab omni macula expurgare, cor lacrymis abluere, & dum manus lavat actu ferventissimo contritionis omnem vel levissimam culpam expiare. Cùm verò lotis manibus Hostiam patinæ imponet, intentionem renovabit, considerans quod ille panis mox fiet Corpus Christi: tum ex suæ vilitatis & immensæ dignitatis hujus mysterii apprehensione actus eliciet timoris & confusionis.

§. II.

De Sacris Vestibus, & earum significatione.

Sicut Reges & Magistratus non vulgari & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quò potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita Sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu; amictu scilicet, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, casulâ, sive planetâ, quibus & Passio Christi ante Sacrificium recolenda repræsentatur, & ejusdem virtutes exprimuntur, quibus ornari celebrantem par est, ut Sacerdotio funga-

tur in justitia & sanctitate veritatis. Cùm enim hoc Sacrificium incruentum idem sit cum sacrificio Crucis, ut supra explicavimus, congruum est, ut Sacerdos, qui Christi pro nobis morientis personam gerit, ejus quoque similitudinem habeat in vestimentis, idque ad decus & reverentiam Sacrificii adhibeatur, quod impius Judæorum furor ad contumeliam intulit Salvatori. Porrò Amictus velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cùm percutiebant eum illudentes & dicentes: *Propheta nobis, quis est qui te percussit?* Alba vestem albam denotat, quâ ab Herode tanquam stultus indutus fuit. Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt eum, sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè ceciderunt. Manipulus, vincula quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. Stola funes collo ejus injectos, sive Crucis patibulum humeris ejus impositum, & in quo pro nobis pendit. Planeta vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati tanquam ludicro Regi imposuerunt. Cum igitur hæc indumenta signa sint eorum, quæ Christus pro nobis perpessus est, varii actus à Sacerdote, dum illis induitur, elicendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, & intensissimi desiderii ejus patientiam & humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis, aliisque adversitatibus sustinendis.

Considerandæ sunt etiam virtutes, quæ per eadem indumenta mysticè designantur, ut discat Sacerdos, quâ vitæ sanctimoniam & morum integritate præditus esse debeat: scriptum est enim: *Sacerdotes tui induantur justitiam*, omnibus scilicet virtutibus ornati sint, quas justitiæ nomine passim Sacræ Litteræ comprehendunt.

Amictus itaque significat, oportere mentem in æternæ dumtaxat salutis rerumque coelestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amotam, & contra quoscumque hostium incursum spe & fiducia in Deum, tanquam galeâ salutaris, communitam. Refert etiam Amictus Christi Domini humanitatem, cujus caput Divinitas est, quæ ab illa occultatur, sicut Amictus caput tegit Sacerdotis. Neque enim oculi nostri Solis justitiæ infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis nube operiretur. Quare Sacerdos, cum illum accipiens osculatur & capiti imponit, se amoris osculo sacratissimam Christi Humanitatem tangere, & capiti imponere putet, ut eâ se protegat & tueatur, dicens cum Propheta, *Domine virtus salutis meæ*

obum-

obumbrasti caput meum in die belli. Obiter quoque per Amictum monetur Sacerdos, maximam servare oculorum modestiam, cum pergit ad Altare, & ibi manet, & ab eo redit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat quod facit.

Alba totum corpus tegens innocentiam, simplicitatem, puritatem, animique candorem & pulchritudinem indicat, quæ totum Sacerdotem complecti & exornare intus & extra debet, atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus & immaculatus in conspectu Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis.

Cingulum indicium est Castitatis, quæ in Sacerdote ita splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore quam in corde admittat labem. In cuius rei typum jussit olim Deus, ut comedentes Agnum accingerent renes suos: & ipse Christus ait, *Sint lumbi vestri præcincti*. Idem quoque B. Joanni apparuit in Apocalypsi præcinctus zonâ aureâ, ut nimirum intelligamus oportere nos omnes affectus purificare, amorem carnalem vincere spirituali, quod est aurum charitatis.

Manipulus præmissio crucis osculo sinistro brachio insertus ostendit lacrymas, dolorem, & poenitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuo dolere Sacerdos debet; carnis item & Spiritus mortificationem; & humilitatem, quæ accedendum est ad Altare; tum futuram bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*.

Stola collo superposita, & in modum crucis per medium pectoris ducta demonstrat Sacerdotem teneri, se Deo unire & quodammodo colligare, suamque crucem Dei causâ patienter ferre, divinæ legi cum omni obedientia se subicere, ejusque jugum alacriter portare, ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea.

Casula, quæ cæteris vestibus splendidior & pretiosior illis superinduitur, signum est Charitatis, quæ reliquis virtutibus excelssior omnibus supereminet tanquam illarum Regina, & vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectæ, ab ea pendent omnia mandata divinæ Legis, & omnia bona in ipsa continentur. Sicut autem Casula in duas partes dividitur, ita charitas duplex est, erga Deum & proximum: & sicut

illa varios exigit colores juxta temporis aut festivitatis diversitatem; ita hæc varios affectus, nunc lætitiæ ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiæ ob propria & aliena peccata.

Hæc sunt præcipuæ virtutes, quas vestes Sacerdotales significant, quarum actibus induere se debet Sacerdos, ut suum dignè offerat sacrificium. Consuetas autem Ecclesiæ preces singulis indumentis accommodatas attentè & devotè recitabit, & cum indutus fuerit, seipsum considerabit tanquam Lupum in vestimentis Ovium, & rubore suffusus veniam à Deo flagitabit.

S. III.

De accessu Sacerdotis ad Altare.

SI ad omnes sacras functiones sanctè accedendum, & omnes sanctè peragenda sunt: multo majori sanctitate hoc divinum Sacrificium offerendum est, quo nihil sanctius, nihil excellentius, nihil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, Christiane Sacerdos, si tam sublimi & tremendo ministerio ritè & perfectè fungi desideras. Qua in re ut tibi prosim, documenta quædam generalia præmittam: deinde singillatim proponam aliquot considerationes pro singulis Sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis, & mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Nequè deterearis, si hujusmodi considerationes & affectus aliquantò fusiùs explicavero: licet enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici, nec Missæ celebrationem solito prolixior reddent, ut reipsâ experieris; nam ipso usu memoriæ tenaciter insiguntur, adeo ut eos quasi naturaliter eliciturus sis, absque ulla confusione, aut capitis fatigatione. Primum generale documentum est, ne toto Sacrificii tempore Deum offendas ullo peccato veniali: nec ullo defectu & imperfectione tam venerandi Sacrificii excellentiam contamines. Id verò assequeris, si eâ reverentiâ, attentione & devotione celebraveris, quæ omnem vel levissimam animi evagationem excludat: si exactissimè & scrupulosissimè observaveris, quicquid in Missali præscribitur circa ritus & cæremônias, eo modo, quo à viris seriò perfectioni incumben- tibus observari solent.

Secundo, omnia verba, quæ sive elata, sive submissâ voce proferuntur, clarè, distinctè, ferventer, & absque ulla festinatione pronun-

nunciabis, nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum & sanctum videatur, quod à propria & litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti Ecclesiæ conformes, quæ omnes Missæ preces, lectiones, & sententias magno cum delectu ad Sacerdotis & astantium instructionem & devotionem selegit. Ad hoc autem plurimum proderit, omnes Missæ ritus perspectos habere, eaque omnia probè intelligere, quæ tum in Lectionibus, Collectis, Evangelio, Versibus, & cæteris hujusmodi, tum in Canone continentur, quæ facillè discas ex eorum lectione, qui de officii Ecclesiasticis scripserunt, quales sunt Isidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus Abbas, Dionysius item in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum; & ex recentioribus Gabriël Biel in Canonem, Durandus in Rationali, Joannes Baptista Scortia de Sacrificio Missæ, & alii plures. Affectus verò elicies, quales infra proponam, eorum quæ recitas & agis sensui & significationi convenientes.

Tertiò, sicut in Missali præcipitur, antequam sacris te vestibus induas, Missam celebrandam perquires, perleges, & ad ea quæ dicturus es signacula ordinabis, ne te postea contingat aut in verbis hæsitare, aut in cæremoniis deficere, & perturbari.

Quartò, processurus ad Altare, Crucifixum vel aliam imaginem humillimà inclinatione salutabis, te tanto ministerio indignum reputans, atque idè ipsius Christi, Sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intue-re, quasi Cruce onustum, & ad Calvariaë montem iturum, ante te incedentem. Sequere ipsum primarium offerentem, cujus passio & mors à te debet representari; sequere, inquam, cum modestia & gravitate, & agmina Angelorum te undique stipantia venerare, teque existima ex hoc mundo in Cælum transferri.

Quintò, Cùm perveneris ad Altare, Cælum tibi desuper veluti apertum contemplare, & Curiam cælestem, Deumque ipsum spectantem te pro universa Ecclesia hostiam litantem immaculatam. Memineris, pœnam mortis olim indictam bestiaë quæ montem tetigisset, idque tibi applica hominum pessimo, & timorem concipe. Mox in Deum affurgens, satage quantum potes ferventissimos actus charitatis elicere, cupiens in Christum totus converti, eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cùm denique librum aperis, memor esto libri, quem aperuit Agnus,

& septem signaculorum ejus; & desideria Christi fidem in univèrsam orbem propagari.

§. IV.

De initio Missæ usque ad Introitum.

C Alice ritè collocato & Missali aperto stans paulisper in medio Altaris, & factâ cruci inclinatione te cum Abrahamo quasi pulverem & cinerem ante conspectum Domini confiteberis, imitans Christum, qui cælos inclinavit & descendit formam servi accipiens: quò enim humilior fueris, eò gratior & acceptior erit Deo oblatio tua. Mox descendens ad crepidinem Altaris, Verbi æterni Incarnationem recole, ejusque dilectionem & admirabilem promptitudinem ad opus nostræ Redemptionis suscipiendum. Iteratâ autem inclinatione te intimè humilia, & Deum adora pro omni creatura. Dum signo Crucis te signans dicis, *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*; animadvertes, quale & quantum sit nomen, à quo sacrificium auspicas, & sic te gere, ut tantam deceat Majestatem. Magni momenti est, Sanctissimæ Trinitatis præsentiam initio concipere, & ab ea nunquam desistere; ad ipsam enim & ad ejus gloriam oblatio dirigitur, ejusque memoria robur tribuit ad improbos hostium conatus elidendos, qui semper tentant variis & inutilibus curis, atque imaginationibus mentem à sacrificio avocare. Sic conceptâ Dei præsentia, duos affectus raptim elicies, Fidei contra infideles Trinitatem negantes, & recordationis Crucis Christi, atque passionis in ea completæ, ex qua fluxerunt omnia bona. Hos autem affectus ad omnè signum crucis renovabis.

Sequitur antiphona, *Introibo ad altare Dei*, quæ ter repetitur ante psalmum, in ipso, & post ipsum; ut intelligas spirituali impulsu & alacritate, ac summâ veneratione totam Missæ actionem peragendam esse, omni abjectâ tepiditate. Admirare Dei bonitatem, qui te vocavit ad Altare suum: quis enim es tu, ut audeas ad ipsum introire? Ora abscondi in abscondito faciei Domini à conturbatione malorum spirituum; ne immittentes tetra phantasmata divinum perturbent ministerium. Ora etiam renovari in te animæ juventutem, quæ est fervor spiritus, ex quo vera & solida lætitia procedit.

Ad primum versiculum psalmi, *Judica me Deus*, considera, eâ præparatione & dispositione ad altare accedendum esse, ut Dei judicium non per-

pertimescas, ut discernaris à gente non sancta & iniqua, sisque purus & sine macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas. Hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fiducia eam meritis Christi obtinendi.

Ad 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea.* Erubescere quod toties tanti Sacramenti divino alimento confortatus adhuc imbecillus es, adhuc tristis incedis, & cuicumque levissimæ tentationi turpiter succumbis. Merito ergo repellit te Deus; merito te affligit inimicus, nisi ipse vires suppeditet, qui est fortitudo tua & robur tuum.

Ad 3. *Emitte lucem tuam.* Pete divinum lumen, ut veritatem à vanitate discernens, ipsam veritatem sequaris, cujus splendoribus interior sensus illustratus, cum externo sacrificio concordet. Mons vero sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, Altare est Calvariæ montem indicans, quia in eo Christi Passio & mors representanda est.

Ad 4. *Et introibo.* Magnum renova in te reverentiæ affectum erga Altare & Sacrificium.

Ad 5. *Confitebor tibi in cythara.* Excita in te cordis lætitiā, quæ per cytharam significatur: sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens, ingemisce & dic: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

Ad 6. *Spera in Deo.* Ne despondeas animum, restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est, quoniam ipse dabit, ut obtentā culpam veniā in ipso gaudeas, & in ejus laudibus perseveres.

Hæc spe excitatus dices cum ingenti fervore, *Gloria Patri & Filio*, caput inclinans & te offerens ad omnia adversa, & ad mortem pro Deo sustinendam. Tum repetitā Antiphonā *Introibo*, ut bene memineris, quod ingrederis, & quid aggrederis, dices, *Adjutorium nostrum*, ut discas non ponere fiduciam in tuis viribus & industria, sed in eo *qui fecit cælum & terram*, à quo duplex adjutorium postulabis, pro consequenda æterna salute, & mediis ad eam necessariis, & pro illa peculiari necessitate, pro qua offers Sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui*, quam humiliter recitabis, actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione; dolens scilicet de peccatis tuis, & totius mundi super omnia mala, idque purè propter Deum super omnia bona dilectum: dabisque operam, ut verba illa, *mea culpa*, cum magno doloris sensu proferas, & cum bona spe divinæ

misericiardiæ pro tuis & aliorum peccatis. Confiteris autem non solum Deo Creatori, Redemptori, & Judici tuo; sed etiam B. Virgini, cujus innocentem filium sceleribus tuis interfecisti: B. Michaëli Archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti: B. Joanni Baptista & aliis Sanctis, quorum monita & exempla contempnisti: fratribus quoque, quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem tuam & necessitatem, auxilium eorum imploras, quibus confessus es, ut pro te orent, quod humiliter facies: & cum astantes preces pro te fundunt dicentes, *Miserere*, dum etiam ipsi consentunt, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, magno animi ardore & devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum, cum intenso desiderio semper ei adhærendi, & idè brevem sed ferventissimum amoris actum elicies.

S. V.

De Introitu usque ad Epistolam.

Introitum, & ea quæ sequuntur, sedatè, attentè, & devotè recitabis, adhibitis magna cum honestate præscriptis cæremoniis, ut spirituales ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum, & cum dicis, *Gloria Patri*, Sanctissimam Trinitatem adorabis optando ut omnes illi serviant. *Kyrie eleyson* ad singulas tres personas mente in cælum erectus diriges petens remissionem peccatorum cordis, oris, & operis pro te & aliis: & quia novies repetitur quot sunt Angelorum chori, ipsorum vocibus tuam conjunges, & cor ad illos elevabis. Ad *Gloria in excelsis* miraberis quomodo peccator in terra aliena canticum Angelorum canere præsumas: tum alios affectus adjunges laudis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriæ Dei, petitionis & obsecrationis, juxta sensum verborum. Hæc autem verba, *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus Jesu Christe*, intensiori affectu charitatis & reverentiæ erga Christum Dominum pronuntiabis, desiderans, ut ab omnibus ametur, honoretur, glorificetur.

Hymno absoluto sequitur salutatio populi per hæc verba, *Dominus vobiscum*. Quoties autem ea dices, optabis intimo affectu Ecclesiæ

Dei & toti mundo omnem Dei benedictionem, per quam singulis animabus id, quod maxime indigent, conferatur. Dicitur Collectas erubescere, quod mediator inter Deum & populum esse audeas, qui toties alios ad malum pertraxisti. Cum dicis, *Per Dominum*, offeres Deo omnia merita Christi cum magna fiducia, quia scriptum est, *Quicquid petieris Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Expendes autem verba Orationum, quae & per se magni ponderis & efficaciae sunt, & cum in persona Ecclesiae à celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii praestantiam.

s. V.

De Epistola, Evangelio, & Symbolo.

Absoluto Introitu, sequitur instructio populi in fide, per doctrinam Prophetarum & Apostolorum in Epistola, per verba Christi in Evangelio, per articulos fidei in Symbolo; quae omnia mysteriorum sanctificationi, ut nos purgent & praeparant, praemittuntur.

Ipsam verò Epistolam & Evangelium lecturus, mente elice hunc actum humilitatis: Egone in Ecclesia divina deprimam oracula, qui tandem sedi in Cathedra pestilentiae? Ego Evangelium promulgabo, qui factis & exemplis Evangelium impugnavi? Deinde considera, beatos nos esse, quia, ut ait Baruch Propheta, quae Deo placent, manifesta sunt nobis. Deus enim voluntatem suam nobis revelavit per Prophetas & Apostolos in eorum libris & epistolis, & per Filium suum in Evangelio. Ideò haec omnia magna cum attentione & reverentia legenda sunt tanquam sermones Dei, gratias ei agendo, quod mundum doctrinam suam illuminare & instruere dignatus sit: promptumque animum offerendo ad servanda ipsius mandata tam in prosperis, quam in adversis. De hoc autem nos movent in Epistolae lectione manus super librum positae, & veluti operi admotae.

Graduale etiam, & caetera quae sequuntur, exequendi desiderium significant, & ascensum ad apicem Christianae perfectionis, qui sunt fructus Propheticae & Apostolicae praedicationis. Quidam devotus Sacerdos dicebat, se quotidie duabus concionibus interesse elegantissimis & efficacissimis, lectioni nimirum Epistolae, & Evangelii: quas sic audiendas asserbat, acsi Apostolus & Christus praesentes forent, & lo-

querentur, cum firmissimo proposito exequendi quod docent. Turpissima enim esset ejus praecipiti transgressio, quod ab Apostolo & à Christo eadem die auditum fuit, nam videretur Verbi Divini statim oblitus esse, & tantos Concionatores neglexisse.

Initio Evangelii librum & teipsum signabis signo Crucis cum tenero affectu erga Christi Passionem & mortem. Fit autem ipsum signum in fronte sede pudoris, ne Evangelium erubescas: in ore, ut palam annuncies & confitearis: in pectore, ut illud in corde semper conserves, nec ulla diaboli suggestio fructum ejus implere queat. In fine librum ibi osculaberis, ubi prius crucem formaveris, ad significandum amorem, quo ea doctrina amplectenda & executioni mandanda est: ideòque propones factor verbi esse, & non tantum auditor; actu ferventissimo amoris elicto erga Deum ejusque legem.

Certis diebus lectionem Evangelii excipit Symbolum, ut fides excitetur, & sicut corde ad justitiam creditur, sic ore confessio fiat ad salutem. Actus igitur fidei exercebis verbis correspondentes, & contrarias haereses detestaberis. Christo item gratulaberis ob ejus gloriam, dum ipsius Resurrectio, Ascensio, & judiciaria potestas commemoratur, & gaudebis, quia regni ejus non erit finis. In illis verbis, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur*, Spiritum Sanctum adorabis, & intimo animi sensu sanctissimam Trinitatem glorificabis ob singula beneficia naturae, gratiae, & gloriae omnibus creaturis concessa & concedenda. Demum cum dicis, *Et vitam venturi saeculi*, spem firmam concipies vitam aeternam meritis Christi obtinendi.

s. VII.

De Offertorio usque ad Canonem.

Hactenus instructio fidelium & Missa Catechumenorum, qui deinceps adesse non poterant, indicente eis Diacono ut exirent. Jam sequitur Missa fidelium, & quia hic inchoatur actio sacrificii incruenti, majori fervore & igneo pietatis sensu singula verba proferenda sunt. Exordiris autem ab osculo altaris, in quo divinum Sacramentum perfici debet, ut hac amoris & honoris exhibitione Dei quodammodo captes benevolentiam. Sed quia Dei amor annexam habet erga Proximum charitatem, sequitur populi salutatio tanquam commune amicitiae signum,

signum, quo ostendis, te omni odio & dissensione carere, præcepit enim Dominus non esse offerendum munus, nisi præviâ cum fratribus, qui aliquid habent contra offerentem, reconciliatione. Astantes etiam mones, ut simul tecum orent, dicens, *Oremus*, & hoc ferventer facies respiciens in cælum ad Deum Patrem, deinde ad teipsum, tuumque nihilum, qui, peccator cum sis omnium notarum, æterno Patri Filium suum offerre debes.

Quando patenam cum hostia in manibus accipies, pones in ea cor tuum, & omnium circumstantium, omniumque fidelium, ut ea quoque Deo offeras hac intentione, quod sicut panis, quem offers, mox convertetur in corpus Christi; ita cor tuum & omnium fidelium, in ipsum Christum per amorem & imitationem transformentur, adeo ut dicere omnes possint, *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*. Idem repetere poteris in calicis oblatione.

Dum vinum calici infundis, gratias ages Deo, quod sub his speciebus se occultare voluerit pro amore tuo: & cum misces aquam, desiderium excitabis, te totum immergendi in abyssum meritum Christi, atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem, *Deus qui humane substantiæ dignitatem*, tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis, primam in humanæ naturæ creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est: alteram in ejusdem à Verbo facta assumptione, cum duo extrema infinite distantia in unitate personæ conjuncta sunt; tertiam in ejus elevatione ad gratiam & gloriam, ad consortium scilicet & participationem Divinitatis, quam ardentissime concupisces.

Quamvis hoc sacrificium unicum sit, duabus tamen partibus constat, corpore videlicet Christi, sub speciebus panis, ejusque sanguine sub speciebus vini. Ideo pane jam oblato, seorsum procedis ad vini oblationem. Utramque verò extendes ad omnes fines, propter quos hoc sacrificium institutum fuit, qui cum sint maximi momenti, cum summo devotionis fervore hæc oblationes fieri debent, ac si tu solus esses in toto mundo Sacerdos, & ab hoc sacrificio omnium hominum salus penderet.

Subditur brevis precatio, *in spiritu humilitatis* ex longiori decerpta, quam Azarias unus ex tribus pueris inter flammis fornacis Babilonicæ concepit, animo verè contrito & summæ humi-

litis affectu recitanda. Sequitur alia oratio, *Veni sanctificator*, quâ Deum invocas omnis sanctificationis auctorem, ut non solum sacrificium jam præparatum perficere, sed suâ etiam benedictione complere dignetur.

Dum manus lavas, protestaberis, te velle purè ac mundè vivere, & à minimis etiam defectibus emundari: tum gratias ages, quod Christi sanguine lotus sis, aliosque affectus elicies verborum sensui conformes.

In oratione, *Suscipe Sancta Trinitas*, non nudam & aridam beneficiorum Redemptionis nostræ, quæ ibi commemorantur, memoriam facies, sed quæ intimæ gratitudinis affectum includat. Quare totus in demississimam gratiarum actionem effusus hanc hostiam infinite dignitatis te posse offerre gaudebis ad Dei gloriam, & ad honorem B. Virginis, & omnium Sanctorum, ut ipsi in cælis ante thronum Dei incensum orationum tuarum pro tua aliorumque salute repræsentent.

Postea memor imbecillitatis tuæ & considerans, quanti momenti sit, tantum sacrificium divinæ majestati offerre, ad circumstantium confugiens suffragia ipsos admones, ut pro te orent. Manus autem extendis, ac si omnibus viscera pandas: & rursus jungis, quasi intra pectus receptos complectaris. Ipse verò, qui alios ad orandum hortatus es, secreto quoque oras, ut tuum à Deo sacrificium acceptetur. Porro inter hæc congruos his considerationibus affectus excitabis.

Secretis orationibus absolutis, statim clarâ voce dicis, *Per omnia secula seculorum*, nihil sonans temporale, sed sublime & æternum. Tum populum salutans non te ad eum pro more convertis, quia jam debes à terrenis abductus totus Deo intentus esse. Jubes autem *Sursum corda* attolli, ac si diceres, Elevamini omnes creaturæ ad Deum, emergite è facie terræ, & quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Corda verò ad superna subverta ad gratias Deo agendas hortaris, quia nihil dignius, nihil magis æquum & salutare, quam beneficiorum memorem esse. Ideo cor tuum expandes ad omnes creaturas, & ad omnia beneficia illis collata, gratiarum enim actio potissima est ad ampliorem gratiam dispositio. Succedit Præfatio, quasi proloquium, seu preparatio quædam ad eam actionem, quæ propriè sacrificium continet, in qua Deum impensè laudas, advocatis etiam cælestibus spiritibus, ut tecum

cum concinant. Ne tamen temerè in Angelorum choros te ingeras, facultatem à Deo petis humili supplicatione, dicens: *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur.* Ita Angelicis junctus agminibus, sacrum Trifagion pfalles cum summa reverentia & fervore, qui tantus sit, ut quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat & adæquetur. Si enim *tremunt Potestates*, quæ sunt veluti Cæli columnæ, quanto debes horrore ac tremore concuti tu vilissimus terræ vermiculus, qui Deum toties & tam enormiter offendisti? Porro continet hic hymnus tres laudes, & duas petitiones. Nam primò laudas sanctitatem, potentiam, ac supremum Dei dominium, cum dicis *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Secundò celebras gloriam ejus, quæ in tot creaturis in Cælo & in terra tam mirabiliter elucet, his verbis: *Pleni sunt Cæli & terra gloria tua.* Tertiò magnificas Christum Dominum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini:* & cum hoc dicis, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium Sanctorum. Duæ verò petitiones insunt verbis istis, *Hosanna in excelsis*, quæ bis repetuntur, & illis salutem postulas, & quæ ad eam sunt necessaria, primò à Deo, deinde à Christo. Hic autem hymnus idèd Canonis præmittitur, ut ex ipso admoneris te in maximi momenti negotio coram throno divinæ Majestatis consistere, ac veluti in Sancta Sanctorum introire: & si hætenus oportuit te purum & ferventem esse, jam memineris, te deinceps debere tanto ardore inflammari, ut eo possis omnes circumstantes, imò universum terrarum orbem succendere.

s. VIII.

De Canone usque ad Consecrationem.

HÆc pars Missæ Canon dicitur, id est Regula, quæ in sacrificii oblatione servanda est. Constat autem, ut testatur Tridentinum Concilium, ex ipsis verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus, ac Summorum Pontificum institutionibus; nihilque continet quod non maximam redoleat pietatem & sanctitatem, atque offerentium mentes in Deum erigat, ut cum eo jungantur. Submissâ voce recitatur, ut per silentium tum gravitas negotii, quod quasi secretò cum Deo tractatur; tum compositus, pacatusque animi status, qui ad hanc functionem

ritè peragendam necessarius est, intelligatur. Ejus verba attentè & devotè prolata, ipsâ literalis significatione pios affectus suppeditabunt. Per particulam *igitur* connectitur cum præcedentibus: cum enim tibi Angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in Præfatione rogasti, jam quasi pateat ad cælum via; statim fiducialiter ad thronum Dei accedis, & elevatis sursum oculis, expansisque manibus, preces tuas ad Deum effundis, per Christum eum rogans, ut accepta habeat hæc dona ab ipso nobis collata, hæc munera à nobis ipsi oblata, hæc sancta Sacrificia, quæ pro peccatis nostris offeruntur. Et primò quidem personam commemoras, cui oblatio dirigitur, nempe Deum Patrem: secundò, Mediatorem Christum Jesum: tertio, offerentes, eorumque affectum: quartò, res oblatas, quas petis ut Deus acceptet & benedicat: quintò, eos pro quibus offertur, Ecclesiam scilicet; summum Pontificem, & alios: sextò, ea omnia, quæ consequi hæc oblatione desideras, redemptionem, salutem, incolumitatem: septimò, Beatam Virginem, & præcipuos Principes Curie cælestis, quorum suffragia memor tuæ imbecillitatis imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti, *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum:* utque ipsæ preces vim habeant efficaciorum, multum proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare, hunc ferè in modum. Primò, pro teipso orabis per sanguinem pro nobis effusum, ut per illum expieris à peccatis, & eas virtutes obtineas, quæ tibi maximè sunt necessariae, & finalem perseverantiam. 2. Per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quæ ex eo orta est. 3. Per caput spinis coronatum, Summum Pontificem, omnesque Principes, & Antistites. 4. Per vulnus dexteræ manûs, amicos, consanguineos, & benefactores. 5. Per vulnus sinistræ, omnes qui te oderunt, vel aliquâ molestiâ aut scandalo affecerunt. 6. Per dextrum pedem transforatum, personas, & negotia à superioribus commendata. 7. Per sinistrum, omnes qui sunt in peccato mortali, ut in dexteram partem transferantur. 8. Per flagella, sputa, & alapas, Ethnicos, Hæreticos, & cæterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt. 9. Per crucifixionem, Religiosos omnium ordinum, ut cruce voluntarie asperitatis libenter ferant. 10. Per sicum, eos omnes, qui tuas preces expectant.

tunt. 11. Per angorem, quem in horto pati voluit, omnes qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione, aut molestia versantur. 12. Per mortem & sepulturam, iustos omnes, ut cum ipso sepulti semper in iustitia perseverent. Speciatim verò pro illis orabis, quorum te Deus meminisse vult, tu nescis: pro his quos Deus maximè diligit, licèt eorum numerum, & nomina ignores; id enim gratissimum illi est, ut amicorum ejus memor sis. Ab his autem orationibus te brevissimè expedies, imitatus Ecclesiam, quæ paucissimis verbis seipsam, Summum Pontificem, & Antistitem, omnesque orthodoxos commendat. Neque enim decet, privatas causas prolixius quàm publicas tractare, præsertim apud eum Principem, qui omnia scit, & nos admonuit, ne orantes multum loquamur. Consultius itaque erit, pro omnibus ante Missam susius orare, ut in ipsa brevior sis.

Postquam verò privatæ devotioni satisfacisti; rursum publicas Ecclesiæ preces assumis pro circumstantibus & pro offerentibus, sive præfentes sint, sive absentes: & quia Sacrificium jam oblatum fuit in expiationem culpæ, in gratiarum actionem, & impetrationem omnium beneficiorum, jam primarius ejus finis exprimitur hæc oratione: *Hanc igitur oblationem servitutem nostræ, quæ protestaris & agnoscis supremum Dei dominium, & infimam nostram servitutem ac subjectionem; expansis manibus super oblata veteri ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut ab æterna damnatione nos eripi jubeat, & in electorum suorum grege numerari.* Tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam in omnibus benedictam, & inter dona sibi grata adscriptam & ratam, sive approbatam, & confirmatam: atque rationabilem, divinis scilicet rationibus congruentem; ac tandem acceptabilem, id est dignam, quæ non solum ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis à Deo acceptetur, non quidem ex nostris meritis habere, sed suâ gratiâ fieri dignetur. Porro ad illa verba, *ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi;* actualem & expressam intentionem renovabis consecrandi corpus & sanguinem Christi per transubstantiationem panis & vini Christi verbis conscien-

§. IX.

De Consecratione usque ad Orationem Dominicam.

Post multas oblationes verbis hæctenus expressas, sequitur tandem realis oblatio, quæ idem Christus incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Quod si hæctenus necessaria fuit puritas, humilitas & reverentia; multo major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore & horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur quantum potes, & recordare quid acciderit Ozæ: tum ea Christi verba tibi ad aurem dici existima, *ecce appropinquat hora & filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera, te hinc Christi personam gerere, totumque hominem internum & externum ad ejus Majestatem & sanctitatem compone: & cura, ne quid sit in te dissolvi à persona quam sustines.

Hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur,* proferuntur historicè, & recitative, ut inspicias & facias secundum exemplar, quod tibi à Christo Domino monstratum est. Cum dicis, *Accipit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* considerabis, quàm puræ debeant esse manus, quæ tantum pignus attrectant, & hinc disces, hoc opus esse divinæ omnipotentiae. Cum oculos in Cælum elevas, illuc transferes universas animæ vires & cogitationes. Cum dicis *gratias agens,* gratias item ages ob hujus sanctissimi Sacramenti institutionem. Verba consecrationis prolaturus, considera, te ea formaliter & enunciative proferre in persona Christi. Iphis autem prolatis, penetra oculis fidei id, quod latet sub speciebus sacramentalibus: tum genua flectens aspice iisdem oculis fidei exercitum Angelorum te circumdantem, & cum illis adeo profundâ reverentiâ Christum adora, ut cor tuum usque ad abyssum humiles. Ad elevationem, Christum in Cruce exaltatum contemplare, & ora, ut omnia trahat ad seipsum. Varios etiam virtutum actus, eoque intensissimos elicies, nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis, & similibus, mente dicendo, *Jesu fili Dei misere mei. Dominus meus & Deus meus. Amo te Deus meus, & adoro toto corde & affectu.* Poteris etiam renovare intentionem pro qua celebras, & Sacrum offerre secundum quatuor fines. Specialiter verò cum Calicem elevas, memor eris cum sensu doloris & lacrymis sanguinem Christi pro

te effusum fuisse, & à te sæpè contemptum: ipsumque adorabis veluti in compensationem præteritorum contemptuum. S. Petrus Martyr in Calicis elevatione gratiam petebat martyrii & obtinuit: tu adversitatum incrementum martyrium postulas.

Ad illa verba, *Hæc quotiescumque feceritis*, passionis & mortis Christi recordaberis, quam consecratio panis à consecratione vini sejuncta representat. Et quia peractâ consecratione statim adsunt sancti Angeli, & perseverant venerabundi, donec Sacrificium sit consummatum; tu horum reverentiam æmulare. Nam si Cælum est, ubi est Deus. Cælum sine dubio efficitur sacrum Altare, in quo tantum peragis mysterium, tuque admirabili summi boni participatione quodammodo deificaris. Quoties verò Hostiam ranges aut Calicem, Christum complectere, & cordi tuo adstringe omni possibili amoris affectu.

Post consecrationem sequitur Oratio, *Unde & memores*, quâ Christi passionem, resurrectionem, & gloriosam ascensionem commemoras, quibus mysteriis excitatur fides, spes roboratur. Sperare enim debes per merita tam beate passionis, è qua omnis beatitudo nostra promanat, te aliquandò participem futurum resurrectionis, & ascensionis in Cælum, ac gloriæ sempiternæ. Nec nudam solummodo adfers mysteriorum commemorationem, sed simul tum hostia pura, sancta, & immaculata, corpore scilicet & sanguine Christi: licet enim propter species sacramentales panem adhuc nomines, non tamen panem qui pridem erat, sed *panem vite æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Elicies autem actus gaudii propter Christi glorificationem, & cum dicis, *suprà que propitio ac sereno vultu*, offeres Deo omnia antiqua sacrificia.

Cum inclinatus Deum rogas, ut Sacrificium perferri jubeat in sublime altare suum per manus sancti Angeli sui, ad summam interiorem humilitatem te excitabis, & ipsos beatissimos Spiritus orabis, ac nominatim S. Michaëlem, ut opem tibi ferant. Cum dicis, *Omni benedictione & gratiâ repleamur*, ingens desiderium elicies consequendi ex meritis Christi omnia possibilis dona, quibus maximè possis Deum glorificare. In *Memento* mortuorum orabis primò pro consanguineis: tum pro iis, qui tibi causa fuerunt alicujus crucis, seu molestiæ: deindè pro benefactoribus, postea pro aliquo recentè mortuo;

aut specialiter commendato: demùm pro iis, qui neminem habent, cujus suffragiis nominatim juventur.

In illa oratione, *Nobis quoque peccatoribus*, agnosce te peccatorem esse, circumdatum infirmitate, & time: licet enim nihili tibi conscius sis, non tamen in hoc justificatus es. Spem igitur erige ob multitudinem miserationum Dei; & magno animi ardore partem aliquam & societatem cum Sanctis tibi donari humillimè pete, atque in eorum consortium admitti, optando eximiam vitæ sanctitatem pro majori Dei gloria in Christo Jesu Domino nostro. *Per quem*, vis consequenter, *hæc omnia, Domine, semper bona*, panem scilicet & vinum *creas*, quia per ipsum omnia facta sunt: *sanctificas*, cum in prima oblatione sacrificio sunt destinata: *vivificas* mediante transubstantiatione: *benedicis*, quia per hæc Sacramenta copiosam acquirimus gratiam: & *præstas nobis* in cibum & redemptionem. Porro hæc verba valdè ferventer pronuncias, itemque sequentia, quia per Christum cum Christo, & in Christo est, *Deo Patri omnipotenti omnis honor & gloria*. Hic autem gratulari poteris toti sanctissimæ Trinitati ob gloriam quam habet per Christum: & dum tenes hostiam super calicem, offeres SS. Eucharistiam, quam sub utraque specie in manibus habes, in laudem & gloriam Dei, pro omnibus beneficiis, in expiationem culparum, & pro omnium bonorum impetratione.

§. X.

De Oratione Dominica usque ad Communionem.

Absoluto Canone jam te ad communionem præparare debes factò initio ab oratione Dominica, quam cum tremore, & filiali erga Deum affectu recitabis oculis in Sacramentum intentis, quia Christus simul cum Patre preces tuas audit & exaudit. Septem sunt ejus petitiones, in quibus summam continentur res omnes à Deo petendæ, & pro quarum impetratione hoc sacrificium offertur. In prima petitione desiderium excitabis eximie tuæ & aliorum sanctitatis, ut gloria Dei augeatur, ut ab omnibus ametur & timeatur, ejusque sanctitas, bonitas, sapientia ubique innotescat. In secunda optabis Deum in tua, & cæterorum voluntate regnare, simulque petes ad regnum suum felicitate

citer pervenire. In tertia rogabis, ut omnes homines sic Deo serviant & obediunt in terris, sicut ei ab Angelis servitur in caelis, nunquam peccando, & quae illi grata sunt semper ferventissime faciendo. In quarta omnia necessaria pro victu, vestitu, caeterisque temporalibus postulabis. In quinta, implorata Dei liberalitate pro alimentis, ejusdem clementiam pro remissione peccatorum deprecaberis, elicito actu contritionis, & sinceræ dilectionis omnium inimicorum, & aliorum, qui tibi causa fuerunt alicujus molestiae, purè illos amando propter Deum. In sexta dissidens de propriis viribus, & timens malitiam & inconstantiam tuam, petes à Deo, ut te praeservet à tentationibus, ne fortè in eas inductus ab ejus gratia & amicitia excidas. In septima à malis culpæ & poenæ liberari precaberis, atque ab omnibus adversitatibus, quas diabolus & mundus contra te moluntur.

Hæc postrema petitio fusius explicatur in sequenti oratione, *Libera nos quæsumus Domine*, in qua mala enumerantur, à quibus postulas liberari, præterita scilicet, præsentia, & futura. Mala autem præterita sunt peccata, de quibus scriptum est, *Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare ut tibi dimittantur*. Præsentia sunt quotidiana peccata, & aliæ calamitates. Futura sunt tentationes, & aliæ imminentes miseriae, quæ sine speciali Dei adjutorio evitari non possunt. Ad hæc impetranda opem flagitas B. Virginis, Sanctorumque Apostolorum Petri, Pauli & Andreae, & omnium Sanctorum: & signans te signo crucis pacem petimus, quam Christus nobis suâ Passione promeruit.

Sequitur fractio Hostiæ in tres partes, quarum unam dum Calici immittis, intimam cum Deo unionem postulabis. Pacem populo annuncians, triplicem cunctis pacem desiderabis: pacem scilicet uniuscujusque cum Deo, quæ in ejus gratia & amicitia consistit: pacem cum seipso, quæ in concordia appetitur cum recta ratione sita est, ut quod ista dicat, ille exequatur; pacem cum proximo suo, ut nemo alteri præbeat offensivæ occasionem, sed omnes potiùs Christianæ charitatis officii sibi devinciat.

Ad primum *Agnus Dei* elicito actu fidei erga Christum ibi præsentem, qui est verè Agnus Dei pro nobis in Cruce immolatus, liberari & præservari petes ab omnibus miseriis spiritualibus, quales sunt habitus prævi, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in benè cœptis. Ad

secundum liberari item & præservari petes à miseriis temporalibus, à peste, fame, bello, morbis, & persecutionibus, quatenus à servitio & cultu pacifico Dei nos impediunt. Ad tertium pacem postulabis, quam parit bona conscientia, dominium sui, omniumque rerum creaturarum contemptus.

§. XI.

De Communione.

REcè Psalmographus de Domino loquens dixit, & factus est in pacem locus ejus: & Apostolus etiam ait, *Pacem habete & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*. Non ergò mirari debes, si sæpius repetitâ imploratione docet Ecclesia proximè ante communionem pacem à Deo petere, quæ & omnia bona in se complectitur, & dignum Altissimo præparat habitaculum. Hanc petitionem continet prima ex tribus orationibus, quæ communioni præmittuntur; postquam in secunda remissionem postulas peccatorum, & donum perseverantiæ. Tertia verò timorem in te excitat, ne panis vitæ & potus æternæ salutis proveniat tibi in judicium & condemnationem: sed mox fiduciam concipies sperans ut meritis Christi tibi proffit ad iustamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Tum genuflexus Deum adorabis ardentissimum concipiens desiderium ipsum in Sacramento suscipiendi, cum versiculum illum profers: *Panem celestem accipiam & nomen Domini invocabo*.

Cum dicis; *Domine non sum dignus*, confitere indignitatem tuam, sed simul agnosce Dei omnipotentiam & misericordiam sequentibus verbis, *sed tantum dic verbum & sanabitur anima mea*. Te autem indignum fateberis, primò propter peccata tua, secundò ob vilitatem naturæ tuæ, tertio quia ex te nihil es, nihil habes, nihil potes.

Ante communionem subsiste aliquantulum, & præcipuarum virtutum humilitatis, fidei, spei, charitatis, contritionis, abnegationis, & adorationis actus breviter elice, quos sequenti vel simili modo formabis. Quamvis autem longiusculi videantur, si tamen memoriæ benè impressos habebis, sient tibi ex ipso usu & agilitate à Deo tributa aded familiares, ut quasi in instanti eos mente depromas.

Ita est, Domine Jesu, indignissimus sum, quia omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sum, indignus

indignus omni bono, & dignus omni malo. Pretius tamen pietate & misericordia tuâ infinitâ, te sumere præsumo. Credo Domine, quidquid credit à te edocita S. Romana Ecclesia, & quidquid illa damnat ego pariter damno & anathematizo. Spero à te, & peto omnia auxilia necessaria pro consequenda mea perfectione & salute æterna tuis infinitis meritis, & Sanctorum tuorum opitulationi ac communioni immixtus. Gaudeo & exulto de omni bono & gloria tua, ejusque propagationem quàm maximam desidero. Omnia peccata mea quantum possim detestor propter te, paratus pro in plenissime in hac vita satisfacere, ut anima mea purissimum tuæ Majestatis habitaculum semper sit. Parco omnibus qui me aliquâ molestiâ affecerunt, aut deinceps afficient, & eos propter te sincere amo. Offero me ad omnia mala penæ juxta beneplacitum tuum toleranda, renuncians voluntati, judicio, amori proprio, ac libertati, meque tibi resignans cum omnimoda indifferencia. Te denique summum bonum meum suppliciter adoro, & precor per illam amaritudinem, quam sustinisti pro me in cruce, maxime in illa hora, quando anima tua egressa est de corpore tuo, ut miserere animæ meæ in egressu suo.

Hæc postrema verba addita sunt, ut impetres bonam mortem, & cum ea dicis, Christi corpus fumere intendes per modum Viatici, si ipsa die te mori contingat.

Sumpturus sanguinem considera, te nihil habere, quo dignè possis pro Christi corpore, quod sumpsisti, gratias agere, & idèo paris valoris sanguinem offerens dices magno spiritu verba illa, *Quid retribuam Domino*, cum sequentibus orationibus, quæ sumpto sanguine dici debent.

Quia verò post Communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum; eâ durante eos affectus breviter & ferventer elicies, qui magnis Principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. Primo itaque tantum hospitem adorabis in ejus Divinitate & Humilitate. 2. Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, & pro aliis beneficiis generalibus & particularibus. 3. Splendide eum tractabis præbendo illa omnia, quæ à te desiderat, detestando scilicet omnia peccata; renovando vota, & bona proposita; proponendo ab iis abstinere, quæ illi displicent, & facere semper quod melius est, offerendo te paratum ad omnem crucem & molestiam. 4. Petes à tanto Rege qui omnia potest, quidquid tibi & aliis, vivis & defunctis, est necessarium.

S. XII.

De Postrema parte Missæ usque ad finem.

PERACTÂ communionem sequitur gratiarum actio, quæ est ultima Missæ pars incipiens à Versiculo, qui communio dicitur, eò quod olim caneretur, dum populus communicabat. Sequentes autem orationes non solum gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem, ut dona accepta in te permaneant, & majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur Populus, & dum ille respondet, *Deo gratias*, iterum gratias ages Deo. Ad orationem *Placeat tibi*, rursum offeres sacrificium purissimâ intentione, & cum omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiæ, prout ipsa verba sonant. Deinde Populo benedicens uberem à Deo omnibus fidelibus benedictionem, omniumque cœlestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria Sanctissimam Trinitatem omnes glorificent.

Leges demum in fine initium Evangelii secundum Joannem, cum reverentia & affectu gratitudinis pro beneficio Incarnationis, & vocationis ad fidem, & cum desiderio gloriæ Dei, ut ab omnibus agnoscatur, & glorificetur. S. Augustinus, ut gravissimi auctores testantur, hoc Evangelium aureis litteris conferendum, & per omnes Ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui Christiani tantum faciebant, ut plerique collo appensum ferrent, tanquam alterum Christianæ fidei Symbolum, ac veluti amuletum contra Dæmonum vexationes. In prima hujus Evangelii parte agnosces, quantus sit hospes, quem sub panis & vini velamine latentem suscepisti, nempe Verbum æternum, per quod omnia facta sunt, Filius Dei, Patri consubstantialis, hominum lux & vita, per quem, & in quo omnes vivunt & illuminantur. Expendes deinde, ne fortè ad te pertineant verba quæ sequuntur, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Sicut enim homini cæco præsens est Sol, sed ipsi Soli absens est: sic homines terrenis affectibus, veluti tenebris obvoluti, intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. Hæc etiam verba ponderabis, *In mundo erat, & mundus eum*

non cognovit! In propria venit, & sui eum non receperunt: ne & hæc forsitan in te locum habeant, quod ne contingat, Deum precaberis & timebis. In ultimis denique verbis attendes, quod dicitur, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, & hoc in te adimpleri rogabis: & quia verbum divinum plenum est gratiæ & veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages, quicquid tibi ad salutem & perfectionem est necessarium.

CAPUT VI.

Quid agendum post Missam.

S. I.

Discessus Sacerdotis ab Altari, & quædam exercitia post Missam.

Quia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab Altari post sacrum discessurus Canticum incipis trium puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitās. Ipsum itaque recitabis dum pergis in sacrarium, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi & super-exaltandi propter ipsius infinitam bonitatem. Quo absoluto in persona Ecclesiæ, quæ illo concludi sacrificium præcepit, in locum te recipies ab omni strepitu & distractione remotum, in quo clauso ostio cordis tui, cæterisque cogitationibus exclusis, soli Deo vacabis, nec ab eo recedes, donec benedixerit tibi. Sunt quædam orationes variis affectibus plene, post Missam recitandæ, quas Sancti Doctores Thomas & Bonaventura composuerunt. Has si devotè & sedatè recitaveris, ponderatis verbis & sensibus, non erunt inutiles & infructuosæ. At si eas celeriter percurreris, ut nonnulli solent, statimque recesseris, nullâ protractâ cum Christo morâ, vide & considera, quàm plene tuæ conscientiæ satisfacias. Nullum certe pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent prætextus negotiorum vel studii, quibus se repidi excusant: quod enim gravius & utilius negotium, quàm de animæ salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus præfens melius doceat? Sicut igitur post prandium necessaria est quies à negotiis & laboribus, ut nativus

calor cibum subigat, & in substantiam alimenti convertat; ita post hoc convivium quies requiritur ab externis & humanis occupationibus, ut divinum Sacramentum vim suam & virtutem in animam diffundat.

Et primò quidem diversarum virtutum actus elicies: *Fidei*, confitendo Christum à te susceptum esse verè Deum & hominem, cuius divinitati & humanitati ea omnia convenient, quæ credit & docet Ecclesia. *Spei*, sperando ab eo multa bona naturæ, gratiæ, & gloriæ. *Charitatis*, elicitò erga illum ferventissimo amoris affectu: gaudendo quod ejus Divinitas tantæ sit eminentiæ, ut nullo modo comprehendi possit; dolendo quod tot peccata contra illum & tu olim commiseris, & passim committantur. *Humilitatis*, considerando quis venerit, & ad quem; ponderando magnitudinem hujus beneficii, attentis peccatis tuis præteritis, statu præsentis, & perfectissimo gradu vitæ spiritualis, ad quem tendere debes, & à quo adhuc longissimè distas. *Desiderii & Zelii*, optando ut cessent peccata, impii convertantur, justii multiplicentur & proficiant, & Deus ab omnibus glorificetur.

Deinde quinque sensus internos animæ circa Dominum præsentem exercebis. Et primò inspicere illum in te, ejus majestatem, & splendorem, manusque, pedes, & latus cum quinque splendidissimis vulneribus: aspice quod ipse sit Deus, splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, tam excellentis pulchritudinis, ut omnes ipsum videntes beatos faciat. Concipe affectus nunc reverentiæ & humilitatis avertens oculos à conspectu tantæ Majestatis: mox gaudii & exultationis: tum laudis, & gratiarum actionis. 2. Audi quid loquatur in te, & disce ab eo veram morum emendationem, & veras virtutes. 3. Percipe odorem virtutum ejus & post eum curre, atque illum imitare: considera quoque, quanta sit fragrantia oblati Sacrificii, quod suavissimè olet ætérno Patri. 4. Gusta quàm suavis sit Dominus, & dulcissimo convivio corporis & sanguinis ejus recreatus, propone mundi vilissimos cibos nunquam amplius degustare: cumque ipse sit summa jucunditas, statue de cætero non affici erga aliquam creaturam. 5. Tange eum, & ora ut perfluret cor tuum & omnia interiora tua, & virtus de ipso exeat ad sanandum & vivificandum quidquid morbidum & vitiosum in te repererit: Pere etiam humiliter osculum ejus & dic cum sponsa, *Osculetur me osculo oris sui*, & suspira ad intimam cum ipso unionem. Oscula quoque.